quid quid boni in vita usquam habemus, tibi, inquam,
hoc uni putandum est, ut innumerabiles alias utilitates,
quae ex enumeratis emanant, et ad animi quoque praestan-
tiam, sensuum omnium integritatem, fortunaeque comparanda
bona maximopere conducunt, praeteream. O praeclaram
divinae medicinae utilitatem, cuius ope ne mala quidem
nocere, qua deficiente, ne bona quidem prodesse possunt.
Ex his omnibus quid utilius nobisque gratius accidere possit?
Interrogatus quondam Thales hominum sapientissimus,
quisnam inter homines felix existeret? respondisse fer-
tur, qui corpore sanus esset. Optime quidem. quid
enim bonum corporis valetudine optabilius ac melius?
affluat quis omnibus divitiarum delicijs, possideat cam-
pos variarum frugum uberrimos, cistae argento auroque tur-
geant, abundet omni bonorum copia, sit felix, nummatus,
formosus, habeat liberos morigeros, honoratus, sapiens, sit
domus regia, aut palatium pulcherrimis artificiosissimisque
caelaturis exornatissimum, omnia quam magnificentissimo
ornatu resplendeant, colluceantque, sed si parvo aliquo do-
lore correptus sit, hic omnia quid ei delectationis con-
ferunt? omnes cibi exquisitissimorum coquorum manibus
apparentur, omnes saccaro ac melle condiantur, sed si quis